

Bibliothèque numérique

medic@

**Broussais, Casimir. - An certis signis
distingui possunt, in cadaveribus,
organorum alterationes quae cum
morbo incepere, quae per morbi
decursum, quae in agonia, quae post
mortem accessere ?**

1829.

Paris : Ex typis Lachevardiere
Cote : 90975

4.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI,
ET EX MANDATO SUMMI REGIE UNIVERSITATIS MAGISTRI,
INSTITUTA ANNO MDCCCXXIX.

AN CERTIS SIGNIS DISTINGUI POSSUNT, IN CADAVERIBUS, ORGANORUM
ALTERATIONES QUÆ CUM MORBO INCEPERE,
QUÆ PER MORBI DECURSUM, QUÆ IN AGONIA,
QUÆ POST MORTEM ACCESSERE?



THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrima facultate medica parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subiect et dilucidare conabitur, die mensis Julii, anno MDCCCXXIX,

CASIMIR BROUSSAIS,

MEDICUS DOCTOR, CHIRURGUS AIDE-MAJOR AD NORMALE MILITARE NEC NON CIVILE
GYMNASIUM PARISIENSE, EX SOCIETATE SCIENTIARUM, AGRICULTURE ET ARTUM
PRÆFECTURE INFERIORIS RHENI.

PARISIIS,
EX TYPIS LACHEVARDIERE,
VIA DICTA DU COLOMBIER, N° 30.

0 1 2 3 4 5 (cm)

Passeur
ESQUIRE
LANDRIE-BEUVRAIS
LETOUR
EXAMEN MEDICORUM DOCTORUM
L'AN 1793
ANDREAS
HUCOTTOIS
GAUTHIER DE CLAUBRY,
VIGUER D'ESPINE
KAZINIS
TULEIR,
ERGARDO,
ELUS LITRIIS

COMPETITORES:

NO	NOM
1	MALLEY,
2	DEFERMIN,
3	GUBERT,
4	LUGER,
5	HONDEBEMEN,
6	AUBIE,
7	CHANEL,
8	PALMAS,
9	SANDRAS,
10	LEPPARD,
11	BERNAUD,
12	SANSON,
13	LOQUILLE,
14	BORGET,
15	LA BOIS,
16	OTTE-COQUARD,
17	LEDOUX,
18	GUERLAIN,
19	REGGIN,
20	TAIBRE,

EXAMEN MEDICORUM DOCTORUM

COMITÉ D'AGGRAVATION	
PRÈSES.	ESQUIROL.
JUDICES	LANDRÉ-BEAUVAIS, CAYOL, FISEAU, ADELON, ANDRAL, RECAMIER (absens).
VICARII JUDICES	GAUTIER DE CLAUBRY; vices agens absentis profess. Recamier.
	RULLIER, KERGARADEC.

COMPETITORES :

MAILLY,	BERJAUD,
DEFERMON,	SANSON,
GUIBERT,	MENIÈRE,
LÉGER,	FORGET,
HOURMANN,	DUBOIS,
AYME,	ROYER-COLLARD,
CHANEL,	VIDAL,
DALMAS,	GUILLOT,
SANDRAS,	REQUIN,
GUEYRARD,	GAIDE.

COMPLEXUS
AD AGGREGATIONEM
JUSO REGIS OPTIME

EXAMINIS MEDICARUM DOCTRINARUM

AUCTORI,

QUESTIONE.

EX

An certis signis distingui possunt, in cadaveribus, organorum alterationes quae cum morbo ita sunt, ut exanimem, que in vita, que post mortem discernere?

NEC NON

DISCIPULIS,

Duo sunt, in anatomie pathologica, maximi momenti questiones, cuius ad artem medicam, praeferim ad proximam conformant, atque cura sterilizate, et anatomie in vita (officiorum tractatu), edificationem comutant. Prima est de signis quibus lesiones ex morbo inducuntur, ab iis distinguuntur quae ex aliis causis pendunt; posterior de corruptione, alterationes, inter se, morbos. Quidquid non ex malo aliud tempore luctu, nam, quae ad durad aperte recessu medicis quecumque operisculis occurrunt, periestriguntur. Solitumque, distinctor, in classis, est, quae ex morbo inducuntur, et ex corruptione. Quia alia omnia, quae ex morbo inducuntur, vel ex corruptione, in classis, restringuntur, sic etiam, malo-pathologus, alterationum, innumeris species colligere, describere, videret. Verum ita, quod, ex parte, si nihil amplius ageretur, quantis ornatum laudibus. Sed auctor, quod, in hoc, ex animo, doceret, et sic, in medicarum doctrinam qui jactat ex anatomie pathologica uberrimos fructus, et

CASIMIR BROUSSAIS.

COMPETITIO
AD AGGREGATIONEM
JUSSU REGIS OPTIMI,
ET EX MANDATO SUMMI REGIÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI,

INSTITUTA ANNO MDCCCXXIX.

QUÆSTIO.

An certis signis distingui possunt, in cadaveribus, organorum alterationes quæ cum morbo incepere, quæ per morbi decursum, quæ in agonia, quæ post mortem accessere?

INTRODUCTIO.

Duo sunt, in anatome pathologicâ, maximi momenti quæstiones, quæ ad artem medicam, præsertim ad praxim conferunt, atque cum sterilitate isti anatomæ innatâ (ubi seorsim tractatur), utilitatem commutant. Prior est de signis quibus læsiones ex morbo inductæ, ab iis distinguuntur quæ ex aliis causis pendent; posterior de cognitione alterationes inter et morbos. Quod quidem non ex multo abhinc tempore lucet; nam quemadmodum veteres medici quæcumque ante oculos occurrebant perlustrare, distinguere, dividere, in classes distribuere gaudebant, isque summum scientiæ culmen attigisse videbatur qui omnia ista subjecta oculis in classes redegerat, sic et recens anatomo-pathologus, alterationum innumeræ species colligere, describere, dividere, iterum iterumque dividere, at nihil amplius agere. Opus inane prorsus! quod mirum est quām splendidè elatum fuerit, quantis ornatum laudibus. Sed auctor in æternum venerandus *Examinis medicarum doctrinarum* qui jam ex anatome pathologicâ uberrimos fructus ex-

cerpserat (quod nemo quidem inficiabitur, si modò tractatus *Chronicarum inflammationum* non immemor fuerit), ubi percepit hoc anatomicæ genus in steriles descriptionis conatus degenerare, insurrexit atque indefatigatis telis hos cæcā mente in pejus ruentes lacessivit, donec et ipsi id quod ipse docebat faterentur, nempe accuratissimas alterationum descriptiones in vanum abire, nisi ad morborum historiam referantur, nec speciem, varietatem alterationis, sed genus et gradum præcipuum esse.

Sic victor ex eo certamine abiit; sed non omnis superata est rei difficultas, et etiam supersunt nonnulli contendentes multas alterationes in cadaveribus sæpe numerò post mortem produci, quæ morbi veluti vestigia dantur.

Hanc ipsam agitare meum est quæstionem; nimis amplam, mehercule, pro brevi tempore dato, sed eximiam, quam, si non solvisse, saltem aggressum fuisse mihi congratulabor.

Præcipuum quæstionis meæ, nî fallor, in eo versatur ut signa dentur quibus organicae alterationes a motu vitali inductæ, sive recentes, sive veteres, ab iis distinguantur quæ alis causis tribuendæ sunt; qua-propter videndum fuit primùm quem ordinem sequerer in describendis his alterationibus.

Mihi jamdiù rem perpendenti apparuit sequentem ordinem optimum esse, relictis aliis quibuscumque ejusdem generis co natibus; nulli enim operi idem fuit scopus ac meo, et nova quidem quæstio simul ac ævo mirum in modum accommodata nostro. Non igitur repetendum est mihi illustrium virorum, Bonet (1) Morgagni (2), Lieutaud (3), Sandifort (4), Baillie (5), Portal (6), exemplum, qui ordinem anatomicum, id est, fere nullum adoptarunt. Non defuit aliquid scientiæ inclito Bichat (7), rem ordinanti; sed non est hîc primèm de affectionibus cuique organorum systemati propriis, deinde de iisdem in diversis organis disserendi locus. Magis huic meo labori, viam docente illo egregio chirurgo Dupuytren, consentaneum esset, omisso ordine anatomico et organorum systemate,

(1) Sepulchretum, seu anatomia practica; Genev., 1679, 2 vol. in-folio.

(2) De sedib. et causis morbor.; Venet., 1761, 2 vol. in-folio; Parisiis, 8 vol. in-8°, 1820—22.

(3) Historia anatomico-medica; Paris., 1767, 2 vol. in-4°.

(4) Museum anatomicum acad.; Lugd. Batav., 1793, 2 vol. in-folio; fig.

(5) The morbid anatomy, etc.; Lond., 1795, in-8°; traduit en français, Paris, 1815.

(6) Cours d'anatomie médicale; Paris, 1804, 5 vol. in-8°.

(7) Anat. pathol., dernier cours de Bichat; Paris, 1825, 1 vol. in-8°.

naturam ipsam alterationum considerare; sed, admisso principio, non ideo admittenda consequentia; classes enim, ordines, genera, speciesque hujus professoris non ea sunt quæ mihi sint utilia, quippe quæ magis ex specie quam ex naturâ et causis sunt decepta. Non prætermittendus *J. Fr. Meckel*(1), qui aberrationes, 1º à formâ, 2º à texto agnoscit, quarum priores monstruosas deformitates, varias pro numero, mole, figurâ organorum, includunt; dum posteriores iterum, pro colore, densitate numero et compositione sive physicâ sive chymicâ particularum cuiuscumque partis, dividuntur. Hic altius quidem alterationum naturam scrutatus est; sed, haud secus ac sequentes, divisit ea quæ reipsa intime conjuncta sunt. Non igitur professoris *Laennec* (2), instar 1º alterationes in nutritione, 2º in formâ et situ, 3º in texto, 4º denique corpora alienigena admittam; id enim cuicunque facile patebit instituta discrimina sèpe minime distinguenda, nec raro quidem organum quodcumque, simul ac in nutritione, in texto quoque, vel in forma aut situ, vitiari; imo verò plerumque ita se res habere.

Classificatio autem quam dedit professor *Cruveilhier* (3), multò magis meo labore consentanea videretur, atque dicerem, et ego. tres esse alterationum classes, videlicet, 1º mechanicas lœsiones, 2º organicas alias, organorum texto degenerato; 3º denique organicas alteras ex irritatione, atoniâ, gangræna; nisi perciperem mechanicas alterationes nonnunquam organicas fieri, atque organicas posterioris generis frequenter in organicas prioris desinere.

Nuperrimè tamen aliam quamdam induxit classificationem professor *Andral* (4), quam novam planè faterer, nisi aliiquid simile proposuissent *Bichat* et *Béclard*. Dicit nempè professor *Andral*, anatomiam pathologicam primùm in genere, deinde in specie esse tractandam. Nec id satis est; sed, quod illi ferè proprium (5), diversas, sive in genere, sive in specie alterationes agnosendas 1º circulationis, 2º nutritionis, 3º secretionis instituit.

Cùm quidem prior divisio in duas classes multùm mihi prodesse videtur.

(1) Handbuch der pathologischen Anatomie; 2 b.; Leipz. 1812—13, in-8°, traduit en franç., 1825.

(2) Art. Anat. pathol. du Dictionn. des sciences médic., tome II; Paris, 1812, in-8°.

(3) Essai sur l'anat. pathol.; Paris, 1816, 2 vol. in-8°.

(4) Précis d'anat. pathol.; Paris, 1819, 2 parties en 3 vol. in-8°.

(5) Aliiquid tamen simile excogitavit professor *Cruveilhier*, quum irritationes atque atonias: 1º nutritivas; 2º secretorias; 3º hemorrhagicas agnovit. (Vid. *Essai sur l'anatomie pathologique*; 2 vol. in-8°, Paris, 1816.)

tum non ideo posterior; nam, si in libro dicto, non saltem in humano corpore, alteratio circulationis ab alteratione nutritionis vel utraque plerumque ab alteratione secretionis aliena est. Quae cum ita sint, relictis his omnibus viis, ut mihi videtur, incassum tritis, alterationes ordinavi secundum causas physiologicas earumque frequentiam, gradus atque vetustatem, non neglecta inter has ipsas alterationes cognitione. In quo quidem tentamine sigillatim exigendo non mirum foret si peccavisset, ipso etiam tentamine non vituperando.

Hic igitur de alterationibus, 1^o quae ex inflammatione acutâ; 2^o quae ex inflammatione subacutâ aut chronicâ; 3^o quae ex atoniâ; 4^o quae ex physicis causis, in corpore vivo; 5^o quae ex organorum fluidorumque dissolutione, in cadavere pendent, sermo est habendus. Exactâ singularum alterationum descriptione, ad earum diagnostim transibo.

Verum enim verò plane erraret qui sibi fingeret hunc meum laborem absolutam esse harum alterationum historiam. De illis tractabo tantum quoad mihi utile erit ad solvendam quæstionem quam sortitus sum; quare hanc partem breviter, illam contrâ longius agitare necesse erit. Innumeræ enim alterationes cuicunque patet a motu vitali esse inducæ; dum quædam frequentissimæ ab iis morbi, ab aliis verò, præsertim experimentatoribus, mortis effectus esse dicuntur.

Experimentis recenter editis experimenta nova opponere, id mihi ad enucleandam difficultatem quam aptissimum visum est. Quamobrem ab his incipiam; quæ, plurimis adstantibus, doctore *Philippo* et *Emilio* fratre juvantibus, nuperrime 23, 24, 25, 26, 27 et 28 junii diebus, humido, calidoque cœlo, in militari nosocomio *Val-de-Grâce*, institui.

EXPERIMENTA.

1^o Albas sanasque, ut videbatur, portiones œsophagi et intestinorum, arteriarum atque venarum libero aeri exposui, quas, postero die, inveni minimè coloratas. Ex quo patet immerito quidem professorem *Laennec* asseruisse (prælectionibus ex ore datis, decembri mense, 1824), nil colorum rubrum mucosarum membranarum ad inflammationem et ad activam congestionem probandam valere, sed has membranas quam pallidissimas, facile rubesieri, dummodò aeri libero aliquantisper expositæ fuerint.

2° Similibus aliis portionibus atque insuper fragmentis cerebri, renum, pancreatis, ureterum omnino albis atque sanis in sanguine rubro, nigricante, et jamjam vix cohaerenti, ut madefierent, depositis, ea pleraque mutata, sed variis modis, postridie reperta sunt. Nempe vena quam vigesimo-quinto die hujus mensis, pridiè in sanguine depositam removi, eadem omnino erat ac antea, id est, albissima; dum arteriae, eodem die atque in eodem sanguine madefactae, colorem ex rubro lividum praestarent. Porro notandum est sanguinem istum non merum, sed parumper aquæ mixtum fuisse, nec ideo saturato colore rubro. Eodem verò rursùs inducto experimendo cum sanguine mero, atro, nigricante, vena ex rubro livida reperta fuit, minus tamen colorata quam cæteræ partes quibus erat color lividus, quasi violaceus, crassamento vini admodum similis. Hoc autem notatum dignum, non solùm intimas partes arteriarum, venarum atque intestinorum, sed etiam internam illam, semper adeo perlucidam, quæ nullis vasis instructa videtur, quæ propriè membranam serosam constituit, pelliculam livido isto colore esse perfusam. Hæ præterea quæcumque partes minus cohaerentes erant, et aliquid habebant friabile.

3° Eadem ista fragmenta, cruore madefacta, in aquâ purâ deposita sunt, ut ex hoc pateret an color ille, ex maceratione, intimus cuique texto esset; quod prosperè cessit. Nam, post quatuor et viginti horas, nihil jam coloris retinuerant ea fragmenta, exceptâ quâdam intestinalium parte, quæ adhuc passim aliquid coloris servabat, quod evanuit alterâ maceratione. (Nil mirum quod ita se res habuerit, aqua enim ex quâ depromptæ sunt partes, cum non sat frequenter fuisset renovata, colorem valde rubrum referebat.)

4° Neque id solùm apparuit, sed et illa solitu tam perlucida, at rubra ex sanguine madefaciente, ad pristinum statum redierat et jam omnino incolor visa est membrana.

4° Diversas partes ex inflammatione (ut jam opinabar) rubras, in cadavere repertas, aliasque arte inflammatas in aquâ purâ subinde renovatas, viginti-quatuor horas reliqui macerandas; quo post tempore maximi momenti quâdam observavi quæ sigillatim enarrare mea interest.

Ex his organorum fragmentis alia ex arteriis, alia ex venis, alia ex intestinalibus et vesicæ mucosâ serosâque membranâ, alia ex bronchiis decerpta fuerant.

A. Arterias inflammatas quærenti occurrit, in tribus cadaveribus, aorta

rubra; ex his cadaveribus duo in principio aortæ tantum, tertium vero usque ad finem arteriæ, hunc ruborem ostenderunt; cruralibus arteriis etiam rubris. Porro ut erat sanguis in iis nigricans et vix cohærens, accuratiū rem scrutatus sum an rubor ex cruro stagnante foret. Quis autem posset hanc arguere causam, cùm, ubique stagnante sanguine, in certis tantum locis rubor esset? Nec in iis declivionibus rubor ille, neque in eminentioribus albitudo, sed cùm aorta ante sacro-vertebralem projecturam cruenta appareret, tūm ex ea inferiores rami iliaci interni atque hypogastrici albi niterent. Cur, si reipsā sanguine tantum imbuta fuissent vasa ista, non ubique æqualiter, quām æqualiter sanguine turgida? Quā igitur incognitā voluntate, quā incomprehensibili libidine, hīc sanguis colore partes imbuērit, illuc minimè! Fuerat, adhuc vivente homine, vitalis causa cur passim rubesceret arteria, quod luce clariūs, mox, nī fallor, apparebit. Sed antequām ultrā progrediar, hoc adjiciam: cùm, in quodam cane, ipso mortis momento inciso, aortam aliasque arterias planè albas invenissem, statui modò peremptam quamdam caviam, apertis thorace et ventre, aeri expositam relinquere, ut agnoscerem quid ex dictā illā *imbibitione* fieret. Fuerat autem nulla, vivente caviā, causa ruboris (id est inflammationis), quare fuit nullus, post mortem, secundo die, rubor.

Non tantum has, quas suprà dixi, rubras arterias excepti ut eas aquæ puræ injicerem, volui prætereà quasdam adjicere arte inflammatas. Duo bus igitur carotidi dextræ cujusdam mediocris staturæ canis, ligaturis impositis, ammoniacum injeci, quod usquè ad sequentem remansit diem, vivente cane. Tūm excisa fuit arteria, quæ ruborem præbuit saturatum, uniformem, minimè punctis distinctum, similem demùm huic rubori quem in arteriis humanis suprà dictis notaveram, nisi quodd minùs nitesceret atque paulò nigricantior videretur, eaque interna, serosa pellicula, ali quid ruboris haberet, dum omnino perlucida remansisset in cæteris. Quæ res non prorsùs negligenda, si modò attenderis id a pluribus, etiam nuperrimè a professore *Cruveilhier* (1) contendì, omnem quemcumque ruborem uniformem, sine minutissimis punctis, sine vasculari injectione, cadaveri proprium esse, nec vitâ, sed morte induci. Error gravis, meherculè, quem libertissimè velim doctori *Cruveilhier* non exprobrandum.

(1) Articulo *Anatomie pathologique*, ex novissimo opere dicto: *Dictionnaire de médecine et de chirurgie pratiques*, quo legendum est: « Toute rougeur uniforme, sans injection vasculaire, pénicillée, est un effet cadavérique. » Tom. II, pag. 366.

His undique collatis arteriis, non tantum rubris sed et quodam modo plus minusve turgidis, aquam puram admoveare placuit, collectamque illi injicere. Dies unus elapsus est, post quem expromptas ex aquâ arterias inspicere debui, eaque adnotavi: humana vasa, ubi rubentissima apparuerant, adhuc etiam, minus tamen, rubentia; ubi vix rubentes antea, nunc omnino alba. Quod ad aortam inflamatam, mortuo cuidam cani exemplò detractam, attinet, etiam biduo in aquâ maceratam, adhuc rubentissima erat arteria, etsi interna pellicula colorem minimè induisset.

B. Pauca de venis, cum arteriis aquæ puræ injectis, dicam; fuit enim idem experimenti eventus ac in superiore casu. Hoc solum notatu dignum, albitudinem internæ pelliculæ inflammatarum venarum, valvulis albis apprimè demonstrari.

C. Intestinorum mucosa membrana ruborem præbebat, antè macerationem, sive uniformem, sive punctis distinctum, aut vasculari injectione tenuissimâ, aut tractibus arboris ramos referentibus insignem; neque illi mediocris, variâ tamen pro parte, tumefactio. Post viginti-quatuor horas, madida membrana vix aliquid ruboris amiserat, etsi tamen aliquid.

D. Serosa intestinalis membrana ubique punctis rubris distincta, propriâ autem pelliculâ perlucidâ manente, eadem fere ac pridiè, paulò minus tamen rubens apparuit.

E. Rem quamdam gravem præbuit experimentum circâ mucosam vesicæ urinariæ membranam. Ex duabus vesicis una quidem roseo atque fermè uniformi colore, altera vero rubro quodam, non eodem ubique, sed hîc saturato, illuc admodum tenui ac veluti roseo. Ambæ ex aquâ deprompta albae visæ sunt; sed duodecimâ vix horæ parte elapsâ, rubra quædam punctâ posteriori nitescere cœperunt, iis locis quibus antea rubor quam maximus erat, dum intervalla omnino alba perstiteret, quæ pridiè rosea. Cui dubium ista rubentia puncta circumscriptæ chronicæ inflammationis esse vestigia, firmissimoque arguento sententiam nostri *Broussais* de iis tamdiu ignotis circumscriptis inflammationibus, multis ab hinc annis publici juris factam, sed à quibusdam hucusquè vehementer impugnatam, confirmare? Sed non hic locus.

F. *Paululum* denique palluerant membranæ mucosæ bronchiarum, sed nunc etiam indicia pristinæ inflammationis non dubia servaverant, imò verò maximè insignia.

His meis enarratis experimentis, nunc veniendum ad descriptionem singularum jam nunc dictarum alterationum, secundum ordinem propositum.

PARS PRIMA.

DESCRIPTIO ALTERATIONUM.

SECTIO PRIMA.

Alterationes quae ex inflammatione acutâ pendent.

Has inter, imò et ante omnes, eminet *rubor*, cuius diversæ sunt species; modò enim minutissimis punctis, modò sanguineis tractibus arboris ramulos referentibus, modò diffuso æqualique colore distinctus est; atque, in quacumque specie, varietates oriuntur ex coloris vi, nam sive roseus, sive coccineus, sive nigrans rubor appetet.

Primas duas species nemo dubitat quin ex inflammatione nascantur, atque innumera invenienda sunt exempla hujus speciei in operibus de anatome pathologicâ, præsertim ætatis nostræ, nam præcedentis sœculi scriptores ruborem atque inflammationem indicasse satis esse putabant, neglectâ omni particulari hujus alterationis descriptione; quare nihil ad rem propriè pertinens in *Morgagni* reperies. Nostri autem rem peculiariter aggressi sunt, imprimis ab ortu medicinæ physiologicæ, quo necesse fuit innumeras agnoscere inflammations hucusque ignotas. Experimenta plurima a doctoribus *Boulland* et *Scoutetten* instituta sunt in rem demonstrandam, inflammatione in variis textis arte exortâ atque ante dictis characteribus insigni.

Complausère omnes, ac eò usquè progressi sunt nonnulli, ut profiterentur semper his characteribus inflammationem distingui. Erravere; haud semel enim inflammatorius rubor æqualiter per membranam quamcumque effunditur; idque quod extrinsecus, ex. gr., in erysipelate tam frequentè, etiam intùs in visceribus occurrit (1). Sæpè mucosas membranas rubor ille-

(1) Videre est in *Spigelii* egregio isto opere *De semi-tertiana* (Francf. 1624: 1 vol. in-4°, præserium in 1° et 2° libro), ventriculi et intestinorum has acutissimas inflammations quas erysipelatas vocat, quas autem fermentationibus adscribit, ut mos erat his in sœculis.

infestat, nec parcit internæ vasorum membranæ, quod quotidiè cadaverum dissectiones et nuperrimè meum suprà enarratum experimentum (scilicet injectio ammoniaci in carotidem), minimè dubitatum facit. Non tam frequenter tamen hunc in serosis membranis vidi, nisi vehementissima inflammatio fuissest aut ab irritamentis ipsi membranæ depositis genita.

Quod ad varietates, pro coloris vi, si roseus spectat; rubor est, id levis inflammationis; si coccineus gravioris, si nigricans, gravissimæ propriam.

Attamen notandum est quandoque actionem physiologicam eamdem fermè inducere ruboris speciem ac mórbus, sed ruborem istum semper levem, roseum evadere, vitæque ac circulationi, id est, oscillatorio motui magis accommodatum; quod videre est, e. g., in véntriculo et intestinis, per digestionem. Tùm enim rubet membranā mucosa, in eoque tamen differt ille physiologicus rubor à pathologico levi, quòd (1) non in extremitis membranæ mucosæ plicaturis, sed inter eas sit; quòd, etsi levis sit, quemdam tamen præ se fert veluti fulgorem quem numquam in levi inflammatione reperies; denique non pallet membrana lōta, quemadmodum pallent partes leviter inflammatæ.

Nunc si rubram libero aeri exposueris partem, paulò rubentior membrana apparet, non autem parenchymata.

Eam verò quamcumque partem si aquæ puræ injecseris, in eâque 24 horas reliqueris, tûm percipies rubentissimas partes vix aliquid coloris amisisse, dum contrà ea fragmenta, quæ levi tantum ac roseo rubore prædicta erant, omnino pallida videntur. Animadverti equidem, et mecum animadvertere juvantes Dr. Philippus et frater, inflammatorium ruborem, etiam triduo maceratum, adhuc perstantem.

At plerūmque non solùm rubræ sunt partes inflammatæ, sed et *turgidæ*, quod cuique notum est.

Præterea *indurate* sunt vel *mollitæ*. Nemini in animo est, ut opinor, negare partem rubentem atque induratam inflammatione correptam fuisse, quare ad *mollitem* transibo, hoc solùm adnotato, partes sic induratas non facilè maceratione molliri.

Ex inflammatione acutâ *mollitæ* partes plerūmque rubræ sunt; tamen

(1) Id mihi animadvertendum fecit Dr Philippus, ex *Val-de-Grâce* nosocomio, dum simul consideravimus cujusdam canis inter digestionem occisi ventriculum, am 21 horas in aquâ maceratum.

non raro mollitos ex eadem causâ pulmones nigricantes vel cinereos vidi, sicut et lien et jecur. Semper indurationem sequitur mollities illa, dummodo sana pars antea fuerit, eique succedit, sive longo, sive brevi post tempore. Est quoque organorum quædam mollities ex dissolutione post mortem, de quâ infrâ tantum.

Ubi certum attigit gradum inflammatio, *pus* movet. Puris autem sunt variæ species; modò enim album atque cohærens, si inflammatio recens nec nimis violenta; modò sanguineum, si gravior; modo cinereum ac fluidum, si jam *vetus* et pravi generis; at numquam nisi ex phlegmasiâ oriundum est.

Sæpè *exulceratur* pars inflammata, sed cùm in certis quibusdam locis et anni temporibus, tûm in certis quoque textis frequenter gigni solet; in aliis circumstantiis contrà, raro. Favet humidum ac simul calidum cœlum; favent humida loca. His suppositis, et aliis sanè incognitis causis, frequentissimæ sunt membranarum mucosarum (præsertim intestinalium) exulcerationes. A mucosis folliculis turgidis auctis, incipiunt et vicinæ cum vicinis conjunguntur, ita ut plus minùsve lata evadat exulceratio, sive rotunda, sive ovata, sive annularis sit. In hunc modum formationis comprobandum, jam à *Broussais* denuntiatum, plurima instituit collega meus *Scoutetten* experimenta, et folliculis villisque cuique suum tribuit in inflammatoriis phænomenis. Ubi exulcerationem invenies oblongatam, rosem cum supremis labris levibus complanatisque, non dubita quin, quùm obiit æger, in eo fuerit exulceratio ut sanaretur; si rotundam contrà, eique rugosa sunt turgidaque labra, vigebat adhuc inflammatio ante mortem et indesinenter progrediebatur. Non solùm acuta sed et chronica inflammatio exulcerat; sed hîc de priori sermo est, cujus suprà dicta vestigia circâ exulcerationem deprehendere in promptu est. Porro nil nisi inflammatio exulcerat, nec illi opus est, ad rem perficiendam, successis istis quibus humoristæ omnis ævi, præsertim chemiatri, in decimo-sexto et decimo-septimo sæculo, præcipuas partes in quocumque vitali, seu physiologico, seu pathologico motu tribuebant, quæ frustâ renovare co-nantur, neglectis tamen fermentationibus aliisque ejusdem generis ineptiis, quidam recentes humoristæ, ne forsàn doctrinæ physiologicæ omnino assentiri videantur.

Sæpius post mortem nulla invenienda sunt *haemorrhagiæ* signa quæ per vitam exorta est; pars ex quâ erupit sanguis rubra est, quod inflam-

mationem quamecumque denuntiat, non autem hæmorrhagicam potius quam aliam. In aliis casibus vero quasdam sanguinis particulas adhuc textu hærentes, aut per id diffusas, deprehendes, quod nonnulli animadverterunt in ventriculo et intestinis apud quosdam à febre *flava* dicta trucidatos. Tandem, si in occlusa cavitate exacta est hæmorrhagia, sanguinem ipsum invenies, ut in cerebro, sive inter cerebri substantiam, sive in ventriculis, sive inter ærachnoidem et piam-matrem, sive etiam in ipsa membranæ serosæ cavitate: sanguis in thorace, aut pericardio, aut pleuris continetur; in abdомine, peritonæo. Non hic de ejus qualitatibus disserendi locus.

In iisdem serosis cavitatibus insuper frequentissime fiunt effusiones sive *purulentæ*, sive *serosæ*. Satis sit dixisse quam diversi sint isti humores modò opaci, modò perlucidi, modò albidi, modò flavi, etc; modò æquè fluidi, modò in duas partes dissociati, ita ut fluida pars, parvum jam absorpta (sæpè ex toto absorpta est), concretâ parte circumdetur, quæ concreta pars pseudomembranas constituit. Has vidi plane vasculares et serosæ membranæ filamentis veluti vascularibus hærentes. Omnis purulenta effusio ex inflammatione partis in qua pus effusum est pendet, dum se rosa, modò ex inflammatione istius partis, modò ex inflammatione alterius, modò ex pluribus aliis causis, quas in subsequentibus capitibus perlustrabo. Inflammatoriam igitur eam dixeris, si membrana ipsa aut vicinum aliud organum inflammationis vestigia servat.

Si vehementissima est inflammatio, *gangræna* corripiuntur organa; quod quidem raro fieri nunc compertum est. Nemini igitur faciant fidem medieci scriptores *Van-Helmont*, *Spigel*, *Sylvius de le Boë*, *Bonet*, *Baglivi*, *Chirac*, *Rega*, *Lancisi*, *Morgagni*, *Zimmermann*, etc., tot gravia symptoma, tot mortes ex falso habitâ ventriculi atque intestinalum gangræna, narrantes. Nigra pars non ideo gangrænosa, sed gangrænosa ubi ex nigro viridis, atque incohærens est, præsertim ubi proprio quodam fætore redolet.

An autem ex aliis causis nasci gangræna potest? Certè ex urentibus et causticis, non autem ex atonicis, nam ea quæ senilis nuncupatur gangræna, haud secus ac scorbutica, in textis jam morbo vitiatis oritur, sive vitiatio illa pristinæ inflammationi, sive pravæ nutritioni ex pravis alimentis sit tribuenda; undè fit ut partes friabiles efficiantur, ideoque, irruente inflammatione, faciliter dissolvantur.

SECTIO SECUNDA.

Alterationes quæ ex inflammatione subæcta aut chronicā pendent.

Rubor, turgescens, induratio, mollities, pus, ulceratio, gangræna hinc quoque hunc habent locum, sed non eadem sunt atque in acutâ inflammatione.

Et quidem ruber numquam roseus neque coccineus, sed sæpè sat sanguineus, ac sæpius ad fuscum vergens. Præterea frequenter ramis vascularibus non jam minutissimis, sed latis, venosis atque fuscis omnino, aliisque chronicæ inflammationis signis circumdatur rubra pars; denique, necdum maceratione paleat, ut contrà nigror evadit.

Fuscus color præcipuum est inflammationis chronicæ signum, isque aspectus, quem gallicè *ardoise* vocamus, frequentissime ventriculum atque intestina colorat. Tum tota organa atque macerata, nil coloris amittunt, nam color ille inflammatorius, ex quâdam intimâ sanguinearum particularum cum texti particulis permixtione fit.

Turgescensia, prout rubra est aut fusca, acutæ vel chronicæ inflammationi est adscribenda; quandoque autem aut omnino albida est aut partim tantum, rubore passim apparente, quod subæctam inflammationem aut chronicam ex acutâ significat.

Idem est de *induratione*, sive alba, sive nigra (*mélanose*), de *mollitie*, *pure*, *exulceratione* dicendum. Cum autem nonnulli contendere mollietem, sine rubro colore, non esse inflammatoriam, sive in cerebro (*Rostan*), sive in ventriculo (*Louis*), tum ut nullam aliam indicaverunt causam, ne putrefactionem quidem, neque argumenta à *Broussais* et *Lallemand* (1) allata infirmaverunt, ultrâ progrediari.

Numquam vero, nisi ex chronicâ inflammatione est mollities illa *gelatinosa* dicta, quam, quodam modo, animali succo congelato similem dixeris, quæ sæpè apud pueros reperitur; cuius multa dedit exempla D^r. *Denis* (2), qui, haud secùs ac professor *Cruveilhier*, eam inflammatoriam agnoscit.

Sæpè attenuantur, quasi atrophia corripiuntur, morbosæ partes. Porro procul dubio est, omne organum, ubi jam agere desiit, imminui;

(1) *Lettres sur l'encéphale*; Paris, 1820—1823.

(2) *Recherches d'anat. et de physiol. pathol.*, Commercy, 1826, p. 92—102.

ubi verò inflammatio causa est, non tantum attenuatio sed et mutatio in colore nec non cohærentia accessit, parsque friabilis atque paulò fusca est, quandoque etiam subruba.

Fungus neque ex agoniam, neque ex morte, neque ex debilitate nascitur, sed ex inflammatione chronicā, etsi vehementer, quod testatur sanguis abundans et saepius exacerbata sensibilitas. Quod ad *scirrhosas, cancerosas, cystide obductas, cartilagineas, osseas* partes attinet, vix operae præsum est dicere nullum organum unquam, sine vitali actione, sic vitiari; imo, adjiciam numquam sine subacutâ inflammatione, quemadmodum à nostro *Broussais* res tam luculenter probata est.

Quid de *hydatidibus*? idem.

Quid de *emphysemate*? per se nihil significat, sed morbosum dixeris, si morbi sunt signa, nec sat longum tempus elapsum est ex morte ut cadaverosum sit.

SECTIO TERTIA.

Alterationes quae ex atonia pendent.

Hic mentio facienda est hujus atrophiae simplicis, quam modò commorabam, quae saepè in musculis et ossibus inertibus, quae in cerebro et pulmone a serosa effusione circumdati, quae rarius in jecinore, liene, reñibus compressis deprehenda est. Nulla est organicæ substantiae pathologicae vitiatio, sed pallidum, flaccidum atque attenuatum est textum.

Est alia quoque atonia quam faciunt amoti præcipui vitæ stimuli, scilicet oxygen, calor vel unà, vel separatim, alimenta, sanguis, etc. De sanguinis congestionibus quae fiunt in asphyxiâ infrâ dicam, haud secùs ac de *submersione*, in quibus repertæ alterationes præsertim mechanicas causas habent. Non idem de congelatione quam à me invisam describere non audeo, quae autem, ut opinor, in principio non omnino irritationis aliena est, excitatâ *reactione*. Simplicior illa atonia ex alimentorum detractione, minimè est irritationi adscribenda; nam languor et debilitas immerito quidem organorum alterationes nuncuparentur. Superest igitur atonia ex detractione fluidorum, præsertim sanguinis; hanc sequitur hydrops, de qua infrâ, in proximâ sectione. An verò atonicus putandus est color ille violaceus, saepè cum exulceratione, quo non numquam foedantur sebum crura? an senilis gangræna? an escharræ, lividaque ulcera ægrorum à febre typhoïde

correptorum? an ophthalmiae chronicæ cum fusco colore? an hæmorhagiæ atque exulcerationes scorbuticorum? an pulmonum postica congestio, per agoniam, apud quosdam cum languore convalescentes, in protractis morbis, postquam ægri diù supini remansère? an catarrhi chronicæ quos juvant stimulantia medicamina? an etiam, in visceribus digestioni inservientibus, sub iisdem conditionibus ac cætera viscera, eadem atonica congestio (1)? minimè. Fuit enim, antequam dictæ læsiones peractæ fuerint, fuit irritatio, quæ jam mutavit atque yitiavit partes, easque iis læsionibus idoneas fecit. Id ne quidem negatur; sed adjiciunt astheniam stheniæ successisse, testantibus medicamentis irritantibus quæ sola ægro opitulantur. Hunc transitum, fateor, ex contrario ad contrarium, sine ullâ aut fere ullâ symptomatum mutatione, non mutatis organicis læsionibus, capere nequeo. Id unum intelligo, atoniam, ubi cum irritatione conjuncta est, dissolutioni organorum favere, dum sola atque simplex non valet ad rem. Quare non mirum quod post antiphlogisticam medicationem, alia quædam paulò tonica utitis sit, præsertim si naturâ debilis æger, si illi lymphaticum aut lymphatico-proximum temperamentum, si senex et obtusâ sensibilitate præditus. Sed neque diuturnius hoc curationis genus, neque actuosius esse debet, nam asperaretur morbus, ut innumera sunt, in praxi, exempla, quæ iis, qui *oculos habent ut videant*, irritationis partes retegunt (2). Quod ad simplicem congestionem ex atoniâ spectat, eædem sunt alterationes quæ in subsequenti sectione describendæ sunt.

SECTIO QUARTA.

Alterationes quæ ex physicis causis, vivo corpore, pendent.

Hoc titulum significat, 1° obstacula fluidorum circulationi et respirationi, 2° decliviorum organorum situm, 3° imbibitionem.

1° *obstacula fluidorum circulationi atque respirationi.*

Ex impeditâ fluidorum circulatione fit necessariò eorum coacervatio. Coacervati autem humores partes irritant, si naturâ irritantes sunt, ut sanguis, bilis, etc; ex quo inflammations; si non irritantes, ut serum, fit

(1) Vide Audral, *Précis d'anat. pathol.*, vol. 1, p. 40—50.

(2) Vide Broussais, *Examen des Doctrines médicales*, etc., et *Commentaires des propositions*, etc.; 2 vol. in-8°, Paris, 1829.

hydrops; quarum alterationum causam noveris, ubi inveneris obstaculum, sive sit in corde, aut in arteriis, aut in venis anevrysmaticis, sive in jecinore aut pulmone obstructo. Præterea turgent atque livescunt partes in quibus sanguis retinetur; sed rubor ille lividus, quandoque cum tractibus ramusclos referentibus, plerumque universus et saturatus et ad nigrum vergens, facile lotionibus diluitur; ut videre est in cadaveribus eorum qui suspendio periæ. Eadem sunt alterationes post asphyxiæ quamcumque aliam et submersionem; turgidissimæ sunt partes atque lividæ, quoad vita animalis redeat.

2º Declivior organorum situs.

Sanguinis congestiones ex declivitate jam dudum indicatae sunt, sed paucis tantum ab hinc annis accuratè descriptæ. Per illustris ille nuper scientiæ erexit professor *Chaussier* quæm gravissimas edidit animadversiones de discrepantiæ ecchymosim inter et passivam illam congestionem, et causam inflammatoriam quæm sagacissimè denunciavit istius lividitatis quam notaverat *Hippocrates*, quæ apparet extrinsecus, in ipsa lateris parte quæ pulmonis pleuræque inflammationi respondet. Colorem istum non solùm in cute, sed in telâ cellulari subjacente, in ossibus etiam invenit *Chaussier* (1), neque asserere dubitavit hunc esse inflammationis propagantis effectum (p. 423). Non sine causâ quidem ejus sententiam hic refero, nam pro certo habeo multas ejusdem generis alterationes physicis causis adscribi quæ morbosæ, imò inflammatoriæ sunt. Tamen certum est declivitatem aliquandò congestionis esse causam non tantum apud ægros debiles et pridem recubantes, sine vix ullo motu, sed et apud pueros etiam sanos, quod confirmatum est, in nosocomio des *Enfants-Trouvés*, à *D. Denis*, anno 1823. Infantibus enim, ut solitò, latere dextro depositis, cùm pneumonum aut pleurarum inflammations dextri lateris decem numeratae sunt, tùm una solùm sinistri; at, jussu medici, infantibus sinistro collocatis, tùm contraria proportio evasit (2). Quare sedulò animadvertisendum an pulmonum istæ lividæ decliviores partes irritationis fuerint participes; si non, hos pulmones lividos, ferè nigros, atque sub manu prementi crepitantes invenies (3); insuper pressi minuantur, incisiique

(1) *Recueil de mémoires, consultations et rapports, etc.; 1 vol. in-8°, 1824, p. 421.*

(2) Vide *Denis, Recherches d'anatomie et de physiologie pathologiques; Commercy, 1826, p. 374—375.*

(3) Nuperrimè asseruit Dr *Piedagnel* crepitationem semper esse emphysematis signum. Credo equidem pulmonem valdè crepitantem non solùm emphysemate corruptum esse, sed et quadam bronchiarum, in extremis distributionibus, turgescientia; at levis crepitatio sanitatis mibi videtur esse indicium.

et loti allevantur atque pallescunt; quod non in inflammatoriā congestione videndum est. Idem lividus color in declivioribus partibus aliquid prae-stat adeò sibi ipsi proprium, ut nullum exoriri possit dubium de causā, nempè non est sanguis intimus texto, sed veluti ab eo alienus.

3° *Imbibitio.*

Vivente adhuc homine, an fieri possit *imbibitio*, id est organorum coloratio a sanguine, absque vitali motu, effuso, in quæstionem vocari potest. Id, meo judicio, vitæ abhorrere videtur, cùm in eo præcipue vita sit, ut fluida intrà limites organisationi impositos coercentur. Quâ igitur ratione vivens corpus a mortuo differret, si transudatio illa physica fluidorum, invitis vitalibus parietibus, ex vasis in textum cellulare, imò in organa vicina effici posset? Sed cur modò foret, modò non, sub iisdem physicis circumstantiis? Cur hîc, non illîc? Cur non æqualiter, ut supra dixi, in omnibus vasis eodem sanguine repletis? Cur etiam non in declivioribus partibus? Quid demum? istum vasorum colorem, pro imbibitione falsò habitum, inveni in cadaveribus, nec lotionibus diluere potui, dùm facile pallet quodecumque organum imbibitione coloratum; sed infrâ certos imbibitionis characteres exponam.

SECTIO QUINTA.

Alterationes quæ ex organorum fluidorumque dissolutione in cadavere pendent.

Omissis omnibus his alterationibus quæ ex perfectâ putrefactione oriuntur, de his tantùm verbum faciam quæ aliquid simile cum morbis alterationibus præbent. Quare primùm de *imbibitione*.

Gravis ea quæ nunc agitanda est quæstio. Nemo nescit D. *Trousseau* et *Rigot* experimenta, juxta Lutetiam, in villâ dictâ *Monfaucon*, instituisse, quibus equorum arterias sanguine imbuerunt, ex iisque conclusisse, 1° ruborem non esse certum inflammationis vasorum signum; 2° inflammatorio rubori nullum esse proprium signum; 3° vasorum ruborem eò saturatiorem esse quò sanguis fluidior atque coloratior (1), etc.; posteâ adjecisse vasa perdifficilè inflammari, exortâ verò inflammatione, colorem esse minutissimis punctis distinctum (2). Porrò in equis, ipso mortis

(1) Vide, *Archives générales de médecine*, t. XII, p. 194, premier Mémoire.

(2) Ibid. t. XIV, p. 341; juillet 1825, deuxième Mémoire. Vidimus hunc characterem omnino non certum esse, multasque inflammationes, etiam in arteriis venisque, uniformem ostendere ruborem.

momento apertis , vasa albissima invenere , dūm , ubi cadavera post aliquo horas (ex quintā usque ad vigesimam quartam) secuere arterias , jam rubras , eoque rubentiores videre quō diutiūs post mortem , ita ut , post viginti - quatuor horas , colorem saturatum lividum referent arteriae . Contrà , albae aliæ in sanguine jacentes , post duodecimam horæ partem , etiam antea , rubuerunt ; post sexaginta horas , violaceæ factæ sunt . Nullum est dubium quin , post mortem , arteriae , sanguine madefactæ , rubeant , earumque color eò saturatior sit quō diutiūs ad macerandum relictæ fuerint , sed color ille facilè , imò facillimè lotionibus evanescit , dūm manet immutatus inflammatorius , nisi levis ex levi inflammatione . Quā arte igitur levis ille inflammatorius color à mechanico distinguetur ? Inspice tenuem illam , solitò perlucidam pelliculam internam vasorum , cura ut illam cautè alleves atque amoveas ; perlucida etiam nunc apparebit , si inflammatorius rubor ; paulum autem rubra aut ex rubro flava , si ex imbibitione .

Sui sunt igitur mechanico rubori , sui inflammatorio characteres . Nunc interpretandum foret cur paulò post mortem alba , seriùs rubra aut livida vasa in equis experimentatores dicti invenerint . Arbitror quidem ista livida vasa , ope cuiusdam imbibitionis , sanguine fuisse perfusa , ita ut lota colorem amisissent ; neque id omittendum est , putrefactionem multò cito in equinis cadaveribus ac in humanis incipere celeriusque progredi (1) .

Cæteræ partes sanguine imbutæ , maceratione in aquâ purâ facile pallescunt ; eisque , ut et vasis , si imbibitio jam ex quodam tempore , color lividus , quo numquam inflamatæ partes tinguntur , nisi si gangræna sit . Quod si autem serosam membranam habes , colorata erit propria ejus tenuis pellicula .

Reperiendæ sunt quoque in cadaveribus quædam lividitates quæ , solitò non ante mortem , sed aliquot horis post vitam , cutem , præsertim in dorso et aliis declivioribus partibus foedant . Si incidet cutem , sanguinem non effusum , velut in ecchymosi , invenies , sed vasis contentum ex iisque guttati fluentem .

(1) Vide , *Archives générales de médecine* , t . XIV , p . 541 . « Or la putréfaction s'empare beaucoup plus promptement du cadavre du cheval que de celui de l'homme . » *Premier Mémoire* , p . 189 .

PARS SECUNDA.

DIAGNOSIS ALTERATIONUM.

Aliquot etiam nunc si superessent dubia de variis læsionibus, cùm veteribus tūm recentioribus dignoscendis, præcipuè de morbis à cadaverosis distinguendis, ea, nî fallor, meis enarratis experimentis evanescerent. Nil verò dicam de plerisque læsionibus ex chronicā inflammatione quas numquam vel acutæ inflammationi, vel mechanicæ causæ, vel corruptioni tribuerunt, scilicet de *albâ* aut *nigrâ induratione*, de *scirrho*, *cancere*, *cartilaginibus*, *ossificationibus*, *tuberculis*, *hydatidibus*. Quis dubitat quin istæ læsiones ex morbis chronicisque causis fluant? non item de cæteris.

Primum in locum venit *rubor*, quem inflammatorium dices si lotionibus non vanescit, dummodò non levissimus sit; si autem levissimus, roseo colore nitebit quo caret rubor ex imbibitione; prætereà, si de membranâ serosâ aut de vasis agitur, pellicula tenuis interna planè perlucida erit, nisi gravissima inflammatio aut ex causa huic ipsi pelliculæ applicata; quo facto, ex lotionibus rem judicabis.

Cadaverosum autem ruborem agnosces, ubi lotione diluetur, etiamsi lividus sit; quod si non lividus, saltem numquam roseus, nec intimus texto. Ex quo patet immeritò experimentatores suprà dictos affirmasse per difficilem esse vasorum inflammationem; idque contrà procul dubio esse, haud raro quibusdam anni temporibus, etsi non frequenter in aliis, istam occurrere inflammationem.

Solitò rubor ardens acutam inflammationem, saturatior verò chronicam denuntiat, at vidi chronicas inflammations sanguineo rubore distinctas, sanguine, ut puto, indesinenter renovato; sic colorata pars, vix, post quadrivium *lota*, pallescere incipit. Ruborem contrà saturatum ex acutâ ac veluti gangrænosâ phlegmasiâ facile distingueres ab alio quoque, quod tumefactio est ingens atque induratio, circâque acutæ inflammatio-
nis sunt vestigia.

Gangræna, si non ex caustico, aut adurente causâ, semper ex inflammatione, sæpè acerrimâ, quandoque autem non violentissimâ, sed partibus jam vitiatis, ut in scorbuto, in senili gangræna, etc.

Vix utile est dicere *pseudo-membranas* numquam nisi inflammatione produci.

Quod ad *indurationem*, si illi color ruber aut sanguineus, recens; si fuscus aut albus, vetus est.

Haud secūs est de *mollitie*, de *ulcerationibus*, de *suppuranti* texto.

Color *fuscus* atque *attenuatio* semper ex *chronicā* inflammatione (exceptā, ut jam monui, istā, sine ullā organicā lāsione, *atrophiā*).

Emphysema certè per vitam, in plurimis textis, gigni potest, præcipue autem in telā cellulari et vasis sanguineis, atque repertum est antequam ulla fuissent corruptionis indicia. Dixi quid putarem de pulmonum emphysemate.

Nunc ad ultimas veniendum est conclusiones.

Cuicunque, ut opinor, apparebit ut plurimū perfacilem, rarò autem perdifficilem esse alterationum diagnosim, at ubi difficilis est, quibusdam experimentis atque morbi historiā difficultatem solvi.

Quae. Dis. forentur in mortuorum Facilius.

Ergo certis signis distingui possunt, in cadaveribus, organorum alteratio-
nes quae cum morbo incepere, quae per morbi decursum, quae in agoniā, quae
post mortem accessere.

DOCTORIS D. M. S. GANDRAS.

— — — — —

BALTIMORE.

EX CUDIBAT AUGUSTUS CONIUS.

PER MILES FABRICIUS-BONNAMITER, M.

M. DCCLXIX.